



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

SS. Zenobivs Et Zenobia. 30. Octobris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

SS. ZENOBIVS ET ZENOBIA.

30. Octobris.

A Deste hæredipetæ filii & dilapidare
 (neque enim hoc jam vetabimus)
 patrimonia vestra à ZENOBIO nostro
 discite. Iste ubi hæreditatem paternam
 adiit, totam hanc in pauperes & ægros
 intra non multos dies effudit. Quid
 frontem contrahitis tam subito avari?
 an rectius poterat sua locare quàm
 celo, quò, quidquid accipiunt, fidæ
 pauperum manus ferunt? Sed & vi-
 ventis etiamnum manum munificam
 remunerare DEO placuit, quando
 arte medicandi tantâ imbuit, ut vel
 ad tactum ejus omnes passim morbi
 fugerent, ac deinde in patriâ urbe
 Agis pontificali pedo, palmâ denique
 gloriosâ ornavit. Hanc ille scilicet Ly-
 sia Proconsuli inter omnia tormenta
 victor extorsit. Et fortè ab equuleo
 pendens cassas tyranni minas despicie-
 bat, cum ZENOBII etiam soror ZE-
 NOBIA accurrit, & verò ex eodem
 tam forti sanguine se prognatam jacti-
 tans sociam Germano se junxit. Lysias
 utrumque in ferreum lectum injici &
 subjici ignem jussit. Sed hunc coelum
 mitiore rore facile temperavit. In for-
 nacem succensam posthæc abjecti iterû
 flammæ triumpharunt, Superis accla-
 mantibus & certos esse beatitatis jubē-
 tibus,

tibus. Meruere ergo laurum, qua ut coronarentur, capita securi submiserunt. Ex Metaphraſte.

S. WOLFGANGVS EPISC.

31. Octobris.

STellam parturire ſibi mater WOLFGANGI videbatur. Non feſellit. WOLFGANGVM peperit, ſidus, a quo omnis Bojaria illuſtrem ſe faterur. Natalium ſplendori jam inde a puero majorem lucem a bonis artibus, maximam deinde a virtute accendit. Hac cum inter Herciniæ ſilvæ Aſcetas aliquandiu latuiſſet, ſuis tandem ſe radiis prodidit, & præluere Bojis Ratiſponæ juſſa eſt. Agnovere in Præſule ſuo vitæ magiſtrum omnium ordinum homines. Virgines præcipuè Deo dicata, quas ille a vitæ, ad quam nunc etiam pronum eſt deficere, licentiâ, ad ſanctiorem diſciplinam facile omnes revocavit. Poſteâ in deſertos montes auſugit, ſtruxitque ſacellum miraculis etiamnum inelytum. Sed non potuit oculos effugere ſtella tam nobilis. Reſtractus WOLFGANGVS poſt longam abſentiam pulchrius jam Ratiſponenſibus velut poſt tenebras luxit. Illud minimè tacendum. Henricum Bavarum poſteâ Auguſtum educaſſe, illique Imperium tum in vitâ, tum a morte ſuâ prædixiſſe, nam ſerunt Henrico dor-